

OBSERVATIONES CRITICAE

IN

L. ANNAEI SENECAE TRAGOEDIAS

SCRIPSIT

ET

AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM IENENSIVM ORDINIS


AVCTORITATE

AD VENIAM DOCENDI RITE ADIPISCENDAM

DIE XVIIII MENSIS IVLII ANNI MDCCCLXV

PVBLICE DEFENDET

BERNARDVS SCHMIDT
PH. D. A. L. M.



IENAE
IN AEDIBVS FR. MAVKII
[1865]

Cum anno MDCCCLX ad finem vergente commentationem de emendandarum Senecae tragoediarum rationibus prosodiacis et metricis Berolini ederem, perbrevi etiam reliqua de hoc tragico studia mea publicare mihi in animo erat, nam multum olim temporis atque curae cum muneri critico in singulis eius fabulis administrando tum universae illi quae de origine earum est quaestioni pertractandae inpenderam. sed hoc propositum ad irritum cecidit propterea quia iam ineunte anno MDCCCLXI exoptatissima mihi data est facultas adeundi Graeciam; in qua terra divina conplures annos commorantem me tam diversa ab illis videlicet eademque tam dulcia tenebant studia ut non longe abesset quin Senecae plane obliviscerer. iam in patriam tandem reversus quamquam multis variisque nunc inplicitus sum negotiis, tamen, cum quae ante hos quattuor annos de tragoediis illius disputassem idoneis harum rerum existimatoribus non displicuerint, cetera omnia quae scitu non inutilia videbuntur e coniectaneis meis deprompta novisque passim inventis, siquae in relegendis his carminibus succreverint, adaucta paullatim, prout nascetur occasio aut tempus suppeditabit, foras dare constitui. cuius consilii exequendi ut initium fieret, visum est in praesens ea proferre quae ad emendationem Herculis prioris, fabulae corruptelarum sordibus in primis inquinatae, pertinent; in qua re si forte hoc et illo loco ad attingendas etiam reliquas tragoedias invitabor eisque sine longo nimis disputationis anfractu aliquid salutis adferre potero, hanc opportunitatem non omnino anxie evitandam censebo.

Verum antequam ad id quod propositum est venio, paucis mihi de eorum opera est dicendum quos interea de contempto hoc a plerisque poeta scripsisse video. igitur Lucianus Muellerus in laboriosissimo potissimum de re metrica libro, quo de poetis Latinis optime est meritus, ne Senecae quidem emendando defuit; cuius etsi non cunctis

adsentior inventis, multa tamen eorum me iudice probabilia, quaedam egregia omnique dubitatione vacua sunt *).

Qui deinde (anno MDCCCLXII) de harum auctore tragoediarum disserere instituit Gustavus Richterus, is quamquam perdifficili huic quaestioni dici non potest plene satisfecisse — neque enim omnia quae ad eam pertinent amplexus aut eodem studio persecutus est, ita ut praeproperum mihi videatur eius de Hercule altero Agamemnone Oedipo iudicium —, tamen primus inventus est qui exclusis meris opinionum commentis, quibus qui antea de eadem re sententiam tulerant plerique omnes excelluere, in ipsas fabulas non indiligenter inquireret argumentisque ex arte petitis ad indagandum verum uteretur. qua quidem in opera fieri non potuit quin non nulla occuparet quae ego quoque pridem inveneram, sed quo minus emitterem mea me peregrinatio inpediebat. nec tam pusillo sum animo ut id aegre feram. verum idem paullum mirari me fateor quod quae publico usui tradita a me extant, ea Richterus ita in rem suam convertit ut me auctorem modo citaret modo non citaret. veluti p. 3 illius legis meminit qua adstrictus Seneca in personarum mutatione vocalium synaloepham evitavit; quam legem a me solo inventam qua ille ratione fretus sine nomine inventoris attulerit non intellego **). eodemque loco, cum de veris tragoediarum

*) Obiter nec profecto ut laudem Muelleri inminuam hic moneo eius coniecturae qua Herc. alt. v. 1008 restituendum duxit in libro de r. m. p. 170 unam partem vindicandam esse Bothio, qui reponi voluerit *Sed en! reclusas Tartari video fores.* item in eo quod Medeae v. 660 s. Muellerus nuper scribendum censuit in Fleckeiseni annalium t. LXXXVIIII et XC, p. 498, partim consentit cum Withofio, qui praemet. p. 204 coniecerat *moriere*, *Oileu.*

**) Ceterum, ut id oblata occasione addam, ego quidem (p. 20) omnia exempla quae huic regulae adversantur librariorum vel editorum inscitiae deberi demonstraveram duobus exceptis, in Agam. 794 Ag. *Credis videre te Ilium?* Cass. *Et Priamum simul*, et in Oct. 457 Ner. *Decet timeri Caesarem.* Sen. *At plus diligi*, quae sollicitare temerarium iudicabam et iudico. at Richterus plus sibi sapere visus priore loco *et* (p. 19), altero *at* (p. 3) delendum censuit. ita haec quoque exempla facillime posse ad regulam revocari mehercule ne ego quidem non perspexeram, sed vili hoc artificio uti aspernatus eram propterea quia neque libri manu scripti ullo modo ei praesidio sunt et illarum absentia particularum orationem duram ac salebrosam reddit. praeterea duo haec declinatae alibi licentiae exempla reputandum est in nominibus propriis fieri, unde satis excusationis habere Luciani quoque Muelleri sententia est in Fleckeiseni annal. LXXXVIIII et XC, p. 423. accedit quod alterum eorum in Octavia invenitur, cuius propriam originem esse inter omnes constat. iam cum Richterus quidem una cum duabus aliis fabulis Agamemnonem quoque, in qua alterum inest exemplum, abiudicare a Seneca temptaverit, permirum est quod utrumque temere removere quam ad augendam quodam modo opinionis suae probabilitatem adhibere maluit.

titulis exponeret, Phaedrae inscriptionem pro Hippolyti ex optimo codice iam a me restitutam esse par erat ut memoraret. nec maiore iure Richterus ad se vindicavit quae paginis 4 et 5 de vitata ab Octaviae scriptore longae vocalis cum insequenti brevi per synaloepham coniunctione et de eiusdem poetae in metro anapaestico licentiis exposuit. porro quae p. 13 de Senecae tragici cum philosopho in arte metrica consensu itemque quae p. 19 s. f. et p. 20 de synaloephae in metris lyricis condicionibus et de *cui* pronominis mensura et de synizesi dicuntur, ea omnia mea sunt, videntur illius. haec exempla, quae augeri poterant si necessarium visum esset, in medium proferenda censui, ne vel ab ipso Richtero vel ab aliis, siqui haec legant, iniquius quam verius iudicasse dicar. nec tamen hanc in adferendo nomine meo inconstantiam Richterum consulto et cogitate sectatum arbitror, sed malo neglegentiae cuidam vel levitati tribuere, qua in repetendis observationibus meis aliquotiens auctorem me memorasse satis duxerit. eidemque causae adscribendum videtur quod semel bisve, ubi mihi adversatus est, inmutatis verbis meis non accurate id ipsum quod ego dixeram reddidit*). talia igitur futuro tempore ut fugiat, leni hac admonitione effectum iri spero.

Eodem ferme tempore Maximilianus Hochius quoddam de metris Senecae opusculum Halae ad Salam edidit. eo litteris omnino nihil profuit et maximum sibi ipsi contraxit dedecus. nam vix est credibile quantum et quam proterve meam commentationem ubique depeculatus sit: neque enim satis habuit observationum mearum summas avertisse, verum etiam singula plurima surripuit et adlata a me exempla vel ubi alia inveniri facile poterant constanter adhibuit et ordinem viamque disputationis meae fere retinuit, quin saepe eo inpudentiae progressus est ut Latine a me scripta paene ad verbum nostro sermone exprimeret; in quo negotio non raro ei ut homini omnis eruditionis experti eidemque neglegentissimo accidit ut quae ademerat perperam intellecta repetendo depravaret. sed turpissimae huius fraudis dissimulandae et occultandae causa cum variis machinis mendaciisque usus esset (veluti p. 1 s. rem tantum prosodiacam et ne eam quidem plene a me tractatam, metricam vero intactam relictam esse ait, quo tutius

*) Sic p. 19 quod me dixisse ait extra primam et quintam arsin senarii 'raram' esse synaloepham, equidem non dixeram, sed 'non ita frequentem' esse. ceterum asseveranti ei multo saepius eam in quarta arsi inveniri quam in prima lubenter credo; neque enim ego, ut ille, cuncta in omnibus fabulis copulatarum vocalium exempla dinumeraveram.

scilicet hanc partem subduceret), tum pauca de suo intermiscuit, sed ea aut volgaria aut inepta aut puerilibus etiam insignia lapsibus.

Restat de Rudolpho Peipero ut dicam, qui observatorum in Senecae tragoediis libellum anno MDCCCLXIII Vratislaviae publicavit. hic quanto viliorem operam ipse praestitit, tanto insolentius cum in alios tum in me invectus est. et illud quidem socordiae magis quam malevolentiae tribuerim, quod etsi meam dissertationem novit eamque interdum memorat interdum tacitus sequitur nec quo ea anno emissa sit ullo modo ignorat (adfert enim p. 4), tamen ipso scriptionis exordio confidenter adfirmavit ante Muellerum extitisse neminem qui in metricis Senecae rationibus aliquid poneret studii. sed insigne idem mox (p. 4) arrogantiae et vanitatis specimen dedit, ubi de versibus sapphicis disputaturus sive potius, ut iam iam adparebit, nugaturus supersedere se posse labore ait meam de hoc genere sententiam refellendi, quam 'logicis legibus prorsus neglectis' corruptis maxime Agamemnonis Oedipique versibus fulcire conatus sim. quod iudicium quam verum sit paullo accuratius nunc examinemus. igitur ego (p. 71 s.) Senecam paucis hendecasyllabis hoc sibi indulsisse contenderam, ut aut epitriti secundi partem posteriorem in dactylum solveret aut dactylum qui epitritum excipit in spondeum contraheret; et quamquam dactyli quidem insolentiam celeriter pronuntiando 'paullulum obscurari' posse non negabam (Peiperus enim cum me concessisse dicit in 'aliquot' versibus pronuntiando 'metricum vitium exaequari atque mitigari' posse, mala fide mihi obtrudit quod numquam me dixisse scio), tamen, cum fuisse viderem qui in Phaedrae versibus 286 et 288, ut eos ad regulam revocarent, *Hesperias* et *Parrhasiae* ternis syllabis longis elata esse dicerent, tali commento iam propterea abstinendum esse monui, quia hoc a synizesi remedium non cunctis eius generis exemplis liceret adhibere eoque partem tantum eorum tueri nihil attineret. nam, alia ut mittam, quis, quaeso, homo sana mente praeditus in Med. v. 636 *Sumere innumeras solitum figuras* aut in Troad. v. 1051 *Troia qua iaceat regione monstrans* vocem quae est *innumeras* tribus, *iaceat* duabus longis syllabis dici posse sibi persuadebit? et de priore quidem horum exemplorum ipse Peiperus (p. 7) valde dubitare se confitetur, quia tale synizesis genus tragico vix dignum videatur: nam plane inauditum esse iste quidem nescit. contra alteri formae quae est *iaceat* spondiacam mensuram idem sine scrupulo tribuit (p. 6) et, quasi unum monstruosum commentum protulisse non satis sit, addit Med. v. 778 *qui virus Herculeum bibit* in illo *Herculeum* eandem synizesin fieri. itaque quod antea nesciebamus omnes, id nunc homo hic

litteratissimus liberaliter nos docuit, *e* vocalis cum alia per synecphonesin coniunctione produci posse antecedentem brevem syllabam. non magis sapit Peiperus cum (p. 4) Phaedr. 287 *Si qua ferventi subiecta cancrost*, ne spondei pro dactylo positi licentiam concedat, *subiecta* quattuor syllabis efferendum dicit; ad quam falsissimam pronuntiationem probandam septem hexametros Ovidii, qui rectissime et sine ulla difficultate procedunt, plane ridicule adhibuit. sed hoc quidem commentum non est cur longius persequar, quoniam ipse nuper Peiperus in Muetzellii annal. XVIII, p. 331 'magnum errorem' in ea re sese commisisse concessit. satis ingenue, fateor! sed quid de homine iudicabis qui cum alios, quia ineptire cum eo noluissent, petulantissime insectatus sit, agnito postea proprio lapsu ne verbo quidem de iniuria illis inlata se excuset? verum, ut hoc missum faciamus, quod decoris est non omnibus insiti, quamvis probe Peiperus opinionis antea a se prolatae perversitatem perspexerit, satis contumaciter dactyli in spondeum contractionem negare pergit habetque quo modo ex hac difficultate se expediat. nempe nunc istum Phaedrae versum tam sibi molestum una cum duobus qui proxime secuntur (quorum prior ex eis est qui solutum habent spondeum) ut ab interpolatione ortos prorsus deleri volt. etenim, ut id data occasione strictim attingam, quando Peiperus nescio qui etiam in hunc errorem incidit, ut pleraque Senecae cantica strophis primitus conposita fuisse sibi persuaderet, vix dici potest quantum cum in isto observatorum libello tum in Muetzellii annalibus (XVIII, p. 247 ss. et p. 328 ss.) misero poetae insultaverit. namque non reperta in ipsis carminibus qualem temere animo confinxerat aequabilitate strophica per vim efficere eam ausus est versuum et eiciendorum et transponendorum statuendarumque lacunarum ubique parabili auxilio *). sed ut revertar ad id unde degressus sum, quoniam illis

*) Huius opinionis pravitate nuperrime etiam Richterum, qui dissertatione supra commemorata non carere se sobrio iudicio ostendisset, quasi quadam contagione infectum omninoque ad Peiperi ineptias revolutum esse non sine miratione ex eis cognovi quae anno praegresso in museo Rhenano (XVIIII, p. 360 ss. et 521 ss.) exposuit. ubi et in corruptissimam illius de synizesi et dihaeresi sententiam discessit et de reliquis eius commentis plerisque omnibus sese consentire cum verbis fassus est, tum aemulatione conprobavit, qua plus dicendus est nocuisse poetae quam primum de eo scribens profuerat. et iam illa quae idem uno anno ante in eiusdem mus. Rhen. t. XVIII, p. 29 ss. sine stropharum indagandarum studio de transpositis et interpolatis in Senecae tragoediis versibus commentatus est, eum ab omni cautione circumspectoque iudicio desuefactum esse docuere. nec semel tantum ei accidit ut quae nulla omnino difficultate inpedita sunt aut ab indole ingenioque poetae explicatum habent ex orationis serie expelleret, quia parum perceperat.

quae denuo supra attuli exemplis utramque licentiam videbam certissimam esse (et ne unum quidem eorum ab Oedipi vel Agamemnonis istis carminibus petitum est quorum adhuc obscuram condicionem Peiperus opposuit), eidem numero non dubitavi tres alios e Troasin hendecasyllabos adgregare, e quibus priores duo ita sunt facti ut, si tertio loco spondeum pro dactylo positum esse negaveris, nomen substantivum ***Troiae*** diductis syllabis debebis pronuntiare, id quod constanti omnium poetarum mori adversatur, ut Lucianum Muellerum quem ad modum de multis aliis rebus, sic de ea quoque mecum consentientem habeam (de r. m. p. 164). tertio autem versu, qui est Troad. 852 ***Mittat et donet cuicumque terrae,*** quamquam spondeum statuere per se non necessarium est, tamen ut hoc facerem satis gravis inpellebat causa. quae qualis fuerit iam ita exponam ut idem Peiperum aut neglegentissime scriptionem meam percurrisse aut veritati parum consuluisse demonstrem. quid enim? me contendisse ait (p. 5) ***cui*** semper monosyllabum esse; quod si dixissem, certe ad Senecae tantum consuetudinem rettulissem, ut bisyllabam illius pronominis pronuntiationem in aliquot Iuvenalis Martialisque versibus a Muellero (p. 270) adlatis subabsurde mihi Peiperus opposuerit. at ego quidem cum contracta forma uti solere Senecam observarem (p. 13), Agamemnonis tamen versum 146 excepi, ***Cui ultima est fortuna,*** ubi quicumque Peiperi nugas aversabitur (is enim hic hiatui locum concedit, cuius et alibi satis fortis defensor est), distractas vocales necessario adgnoscendas esse censebit. sed quia hoc loco ***i*** vocalis per synaloepham obscurata est nec omnino certum in his tragoediis formae bibrevis exemplum extat, ne ***cuicumque*** quidem illo Troadum versu persuadere mihi poteram correpta ***i*** littera quattuor syllabis elatum esse malebamque ibi quoque metricam licentiam eam statuere quam a Seneca prorsus declinatam non esse alia eaque certissima exempla docerent. iam quo iure Peiperus legum logicarum neglectionem mihi

---

ceterum falsam istam de strophica conpositione canticorum Senecae opinionem Peiperus Richterusque ne primi quidem fuere qui protulerint, sed praeiverat Antonius Goebelius, qui in quaestionibus Horatianis Muetzellii annalium tomo XVI insertis inde a p. 737 ad nostrum quoque tragicum delatus huius carmina asclepiadea quidem et glyconea strophis quaternorum versuum omnia conprehendi conatus est demonstrare; quo in conatu praepostero fieri non potuit quin permultos versus sibi incommodos ut ab interpolatorum officina profectos excideret. cui cum audaciam vel libidinem Peiperus et Richterus exprobrant, recte quidem faciunt; sed eidem hoc iudicio de semet ipsis sententiam tulere, quorum in ea re temeritas non multo sane minor est.

opprobraverit vel quali idem fide corruptos potissimum versus ad probandam sententiam meam me adhibuisse dixerit, satis superque exposui, et ita quidem exposui ut hunc hominem, qui studia aliorum tam superbe damnare consuevit, aliena venia ipsum vel maxime egere nec ea aut eruditione aut sanitate iudicii esse convicerim quibus ad artem criticam in scriptis veterum exercendam necessario opus est. possum alia adferre plurima unde quam futilis sit quantisque referta vitiis Peiperi opera multo etiam melius cognoscatur; possum eum coarguere ne elementis quidem litterarum satis inbutum esse inque scribendo Latine (si ita dici potest) saepius peccata grammatica admisisse vix ac ne vix quidem pueris (exceptis eis quos ipse linguam Latinam docet) ignoscenda. verum haec persequi et ab hoc loco alienum est et omnino inutile, praesertim cum nuper Luc. Muellerus Peiperianam operam sic uti par est in Fleckeiseni annalibus castigaverit. et iam mihi ad id veniendum sentio quod supra promisi me praestiturum esse.

Herc. prioris inde a v. 19 optimus codex Florentinus et qui huic bonitate proximus est Melisseus omnesque omnino antiquiores libri haec habent adversante partim metro, ***Sed vetera sero querimur. una me dira ac fera Thebana nuribus sparsa tellus impiis Quoties novercam fecit!*** itaque, ut constaret primus versus, adverbium ***sero*** cuncti a temporibus Lipsii editores omiserunt, quamquam I. F. Gronovius malebat inducto ***vetera*** vocabulo sic legere, ***Sed sera querimur.*** verum nec hoc neque illud quod in editionibus extat sententiam praebet sequentibus verbis consentaneam. enumeratis enim Iovis pelicibus filiisque nothis ab illo in caelum receptis Iuno magis etiam indignabunda sic pergit ut a solis feminis Thebanis totiens iam novercam se factam esse queratur. at tamen haec quoque vetera aut, si hoc malis, sera mala sunt, quae removeri nequeunt. itaque cum neutrius horum adiectivorum nostro loco ea vis sit quae ad augendum insequentium verborum pondus esse debeat, aliud a poeta positum fuisse, quo significasset regina iniurias ad id a se memoratas leves esse, si eis conpararentur quas una Thebanorum terra sibi intulisset, vehementer suspicor vel potius confido. quod vocabulum quale fuerit difficile est diiudicare. tamen perquam probabile mihi est Senecam scripsisse ***Sed VANA querimur.*** simillima ratione infra (v. 63) eadem Iuno ***levia sed nimium queror.*** ceterum ***timere vana*** dixit poeta Oedip. 801 et Herc. alt. 1151, ***vana punire*** Phaed. 1194, quo loco id de quo agimus vocabulum a Gronovio e Florentino Delrionisque libris rectissime resti-

tutum est: antea illic legebatur *falsa.* itaque nostro quoque loco fieri potuit ut librarii, cum quid sibi vellet *vana* non satis intellexissent, pro eo alii *vetera* alii *sero* ponerent.

V. 159 ss. ***Haec innocuae quibus est vitae tranquilla quies et laeta suo parvoque domus, spes et in agris. turbine magno spes sollicitae urbibus errant trepidique metus.*** hunc locum ante hos quattuor annos (de emend. S. tr. p. 62 s.) ipsa optimorum librorum *) satis expressa vestigia secutus persanasse mihi videor scribendo, ***Haec innocuae quibus est vitae tranquilla quies et laeta suo parvoque domus. spes INMANES urbibus errant trepidique metus.*** nec quae tum ad emendationem hanc confirmandam protuli nunc repetere in animo est, sed quaedam addam illo tempore, cum in satis ampla materia summae brevitati studerem, a me sciente praetermissa. igitur insequentes versus, quibus vitae urbanae turba uberius describitur, invento meo maxime favere patet, aptissimeque haec potissimum verba (v. 169 ss.), ***Illum populi favor attonitum fluctuque magis mobile volgus aura tumidum tollit inani,*** ad ***spes inmanes*** referuntur. licet praeterea, quamquam in sententia tam plana vix necessarium videtur, locum hunc Salustii conferre, quo Catilinae natura adumbratur (V 5), ***Vastus animus immoderata incredibilia nimis alta semper cupiebat.*** ceterum ista verba ***turbine magno spes sollicitae*** ut certissimum est subditicia esse, ita venire ab homine videntur haud ignaro orationis Senecae, qui ***sollicitas curas*** coniunxit Thy. 921 et Oedip. 981, et ***sollicitum aurum*** Phaed. 518.

Sed a falsa illa lectione quae est ***spes et in agris*** occasio mihi offertur de Senecae in conlocandis particulis copulativis consuetudine paucis exponendi. etenim post suptilem Mauricii Hauptii in observ. criticis (p. 32 ss.) disputationem nemo erit qui ignoret coniunctionum harum traiectionem neque omnibus poetis Latinis probatam nec ab eis qui prorsus declinare eam nollent temere et ut nulla omnino cautio adpareret admissam esse. quae cum ignota fuisset antiquioribus, ab eis demum qui Augusti aetate vixere usu recepta est, nisi quod ***et*** traiecti duo exempla iam inter Varronis Atacini fragmenta inveniuntur, ut Luc. Muellerus nuper animadvertit (de r. m. p. 40). nam Lucretio quod quinque exemplis eam licentiam attribuit Hauptius (p. 47), in eo se cum ceteris errasse post Lachmanni operam ipse sibi

*) Cum his non nullos insuper minoris pretii libros ex parte consentire memoravi. addendus est nunc Turonensis alter, qui teste Wollenbergio (in Muetzellii ann. XV, p. 194) v. 161 praebet ***iam spes magis.***

persuasit. igitur Seneca copulativam *et* particulam a proprio suo loco removit bis in Herc. priore, v. 843 *Crescere et somnos cupiens quietos Libra Phoebeos tenet aequa currus,* et v. 854 *Matris et nomen.* in Thyeste semel v. 1008 *sustines tantum nefas Gestare tellus? non ad infernam Styga Te nosque mergis? rupta et ingenti via Ad chaos inane regna cum rege abripis?* neque enim dubium quin *rupta* casu recto dictum sit et ad *tellus* referendum; quod omnino non adnotandum censerem nisi Bothium viderem satis inconsiderate id verbum cum voce quae est *via* coniunxisse. ceterum, quoniam disputatio semel in hunc locum incidit, non possum quin eum a manifesta quadam corruptela liberem, quae quod usque adhuc omnes ad unum criticos fugit vehementer miror. nam rectissime quidem Thyestes terrae hiatu una cum fratre hauriri et ad ima deduci concupiscit. at quis est qui non videat plane absurda et ne a summo quidem verborum tumore explicanda esse haec, *non ad infernam Styga Te nosque mergis*, quasi ipsam quoque terram ad inferos, terrae scilicet partem, devolvi Thyestes velit? itaque missis his ineptiis, quas a Seneca profectas non esse vel reliqua tota oratio docet (vide v. 1015), trium litterarum additione verba poetae sic redintegrabimus, *non ad infernam Styga TENEBRASQVE mergis?* ad mergendi verbum e praegressis intellegendum est *tantum nefas.* tenebrarum mentio cum Stygis coniuncta etiam alibi apud nostrum reperitur, Agam. 493 s., Phaed. 93 s. sed ut ad institutam disputationem revertamur, in Phoenissis nullum omnino traiecti *et* exemplum extaret nisi v. 137 pro *Ac sibi nepotes* Florentinus hoc testaretur, *Sibi et nepotes,* quod an recipiendum sit dubito; recepit autem Badenus, ita tamen ut falso putaret *et* hic pro *etiam* dictum esse. in Phaedra duo exempla inveni, v. 434 *stirpis et geminae iugum,* et 474 *Solis et aër pervius ventis.* porro in Oedipo tribus locis copulativum *et* post id vocabulum cui praemittendum erat conlocatum esse credo, v. 116 *Figere et mundo tua signa primo,* v. 483 *sacer et Cithaeron,* v. 895 *Certat et veras aves Vincere.* nam versibus 565 566 617 651 *et* pro *etiam* positum esse adparet, et quae inde a v. 911 in Florentino aliisque libris leguntur, *Sed quid hoc? postes sonant, Maestus et famulus manu Regius quassat caput*, ea non recte se habere inter omnes constat. itaque Badenus sic scripsit, *Moestus it famulus manu Regius quassans caput,* participio *quassans* e libris scriptis et veteribus inpressis adsumpto. sed mihi quidem cohibenti in praesens de reliquis iudicium hoc tamen certum videtur pro *maestus et* poetam dedisse *maestus EN*, hocque a Bothio in editione anni MDCCCXVIIII restitutum video, postea id ab eodem rursus inprobatum. item Phaed. 826 *en* in *et* vel *in* corruperant libra-

rii. in Troasin *et* quater traiectum est, v. 382 *Quidquid sol oriens, quidquid et occidens Novit*, v. 405 *limen et obsidens Custos*, v. 473 *nomen et patriae suum Phrygibusque reddas*, v. 849 *Iovis et coronis Elida claram.* in Medea semel, v. 673 *saepe et aggressam deos.* item semel in Agam., v. 807 *supplice et fibra colam.* denique in Herc. alt. copulativi *et* traiectio certa est v. 1950 *Puppis et infernae;* deinde v. 562, ubi plerique legunt *solus evince Herculem,* Florentini auctoritas nobis hoc commendat, *solus et vince Herculem*, idque receptum est a Bothio. idem liber v. 1030, qui volgo ita fertur, *Inhibenda tamen est. pergam et eripiam scelus*, hoc testatur, *verum et eripiam scelus.* quod Bothio et Badeno tantum adrisit ut in seriem orationis recipere non dubitarent. neque ego contra sententiam quod proferam quicquam habeo, quae non solum recta, sed etiam elegans est. nam, ut probe iam Bothius intellexit, *verum scelus* vocatur ab Hyllo quod sciens Deianira admissura est vim vitae suae adferendo, cum Herculem nesciens occiderit (confer v. 983, ubi filius *error a culpa vacat).* est autem locus quidam in Herc. priore, quem ad explanandam magis etiam hanc sententiam aptissime adhibebimus: ubi cum Hercules agnito facinore quod divino correptus furore patraverat mortem sibimet ipse consciscere paratus sit, Amphitruo ut filium ab hoc proposito abducat (v. 1300) *Ecce*, inquit, *iam facies scelus volens sciensque* (vide etiam v. 1313). nec absimilia sunt illa in Phoenissis inde a v. 451 *error invitos adhuc Fecit nocentes. omne fortunae fuit Peccantis in nos crimen. hoc primum nefas Inter scientes geritur.* denique *verum scelus* poeta dixit etiam Phaed. 1210. haec attuli ut demonstrarem non obtemperandum esse Luc. Muellero nostro loco *verum* in *serum* mutanti (d. r. m. p. 170). at tamen grammatica ratio qua verba *verum et eripiam scelus* praecedentibus adnectuntur vel maxime inprobanda est; in qua etiam I. F. Gronovius offendisse videtur, sed non prospere ei hic cessit emendandi negotium. scribendum est sine ulla dubitatione *verum VT eripiam scelus.*

Iam cuncta, nisiquid nos fugit, in Senecae tragoediis exempla quibus copulativum *et* traiectum est enumeravimus. ita autem semper traiectum est ut post unum tantum modo vocabulum, non post plura, conlocaretur. itaque vel hinc reiectaneum est quod Gronovius in Phaed. 768 forte scribendum putavit *Languescunt folio et lilia pallido.* sed vel post unum vocabulum tam raro pro tot versibus hanc particulam a Seneca traiectam esse vidimus, ut exemplorum paucitatem adaugere coniectando perquam lubricum videatur. nec L. Muellero (d. r. m. p. 128) adsentior in Agam. 819 et 824 numeri gratia *et*

medium interponenti hisce, *retulit pedem* et *sensit ortus;* quae si quidem inmutari paullulum a metro necesse fuerit, alia id ratione debebit fieri. et priore certe loco amplecti licet quod teste ipso Muellero in mus. Rhen. XVII, p. 200 liber Turonensis praebet, *retulitque.* idem Muellerus (d. r. m. p. 149) Herc. alt. 1199 ***Ditis evici moras*** eiusdem particulae traiectionem poetae attribuit scribendo ***Ditis et rupi moras.*** hoc enim sub corrupta Florentini scriptura *lucis erui moras* delitescere arbitratur. et sane elegans et dictioni Senecae conveniens haec coniectura est, ad quam probandam Muellerus addere poterat Troad. 681 *rumpe fatorum moras*, item Med. 54 et Phaed. 1101. verum enim vero cum deteriores libri illo loco ***Ditis*** rectissime conservaverint, pro quo in membrana optima mendose legitur *lucis*, cur non ab eisdem etiam sequentem vocem aeque fideliter traditam esse putabimus? certe lectio volgata unde defendatur habet Herc. prior. v. 558 ***Evincas utinam iura ferae Stygis.***

Sequitur ut de *atque* et *ac* particulis videamus. in quibus traiciendis multo maiorem omnium fere poetarum cautionem fuisse scimus, ita ut Vergilius, qui quidem *et* haud ita raro conlocasset licentius, illis contra praeter prosae orationis consuetudinem ponendis plane abstineret. itaque ad modum memorabile est, cum *ac* omnino numquam in Senecae tragoediis insolenter conlocatum sit, *atque* particulae traiectioni a reliquis fabulis omnibus alienae semel locum concessum esse in Agamemnonis v. 418 *refugit loqui Mens aegra tantis atque inhorrescit malis.* nam Herc. prior. v. 268 e corrupta librorum scriptura iam pridem Daniel Heinsius verum restituit, ad eiusque emendationem alioqui certissimam proxime accedere video quod in libro Turonensi priore extare nuper Wollenbergius rettulit in Muetzellii ann. XV, p. 191. quod si hoc perspectum habuisset in rem suam convertere profecto potuit qui Agamemnonem una cum Oedipo et Herc. altero a Seneca abiudicare ante hos duos annos conatus est. etenim ab eis quoque versibus quos apocolocyntosi et scriptis philosophicis passim Seneca inseruit constanter ista licentia exclusa est. quid quod ne *et* quidem illic umquam traicitur? nisi quod inter epigrammata quae philosophi nomine circumferuntur sextum unum (v. 5) huius particulae post unum vocabulum traiectae exemplum exhibet, nonum duo (v. 8 et 12).

Iam vero de Octaviae scriptore si quaerimus, hunc in ea quoque re longe a Seneca diversum deprehendimus. nam primum *et* saepe is licentius conlocavit, et quidem post unum vocabulum versibus 43 (ubi certissima est Lipsii emendatio) 256 329 387 478 516 (sive hic volgatam lectionem retines sive conprobas I. F. Gronovii coniecturam)

558 600. non huc refero v. 919 *fugerem luctus ablata meos penna volucri procul et coetus hominum tristes,* ubi cur *procul* plerique cum sequentibus vocabulis coniunxerint non perspicio: pertinet enim ad praegressa quoque. post duo vocabula copulativum *et* conlocatum est v. 418 *saevas mox et armavit manus,* post tria v. 688 *petat infelix mox et flammis telisque feri principis aulam,* vel potius *petat infestis mox et flammis,* quae est H. Grotii coniectura et I. F. Gronovio et Bothio et mihi probata. deinde *atque* particula quater ab eodem poeta post id vocabulum cui praemittenda erat posita est, v. 110 *iungere atque hosti oscula,* item versibus 165 474 561. idem denique encliticam quoque paullo insolentius non primo, sed secundo vocabulo adnexuit v. 361 *ereptam pelagoque dolet,* ubi quod Fr. Ritterus de coniectura scripsit *ereptam pelago atque,* id non modo non necessarium est, sed ne ferri quidem potest et propter aliam quandam causam olim (de em. S. tr. p. 28) a me expositam et quia *atque* ab hoc poeta traicitur quidem, sed post unum tantum vocabulum. neque etiam dubito quin huic exemplo alterum addendum sit v. 153, quo cum legeretur *Capaxque scelerum,* L. Muellerus (d. r. m. p. 318) propter sat gravem causam in legibus prosodiacis positam et libri insuper Turonensis nisus vestigiis reposuit quod ab huius poetae consuetudine minime abhorrere ipse probe intellexerat, *Scelerum capaxque.* at contra in Senecae tragoediis cum haec encliticae traiectio nusquam locum habeat, non probo quae idem Muellerus nuper in Fleckeiseni ann. LXXXVIIII et XC, p. 416 et 483 proposuit aliunde quoque, ut mihi quidem videtur, parum credibilia, ut Thyest. 396 scriberetur *nullis notaque coetibus* pro volgata lectione *nullis nota Quiritibus,* quam retinendam censeo, et Troadum mancus a metro versus 401 *Quo non nata iacent* hoc modo ut conpleretur, *non orituraque.* restat ut praetextae auctorem duobus locis disiunctivum *nec* ab initio enuntiati nimium quantum removisse dicam, v. 609 *sanguine extinxi meo Nec odia gnati,* et v. 402 *cingere assuerant suas Muris nec urbes.*

Iam quoniam ipsi mihi quasi inopinatum accidit ut in suptiliorem quandam quaestionem grammaticam inciderem, e qua tamen ad orationem poetae plenius cognoscendam et ad munus criticum in eius fabulis administrandum aliquis certe redundasse fructus videtur, haud ab re duco eiusdem generis non nulla, sed paucissima, adiungere. et cum de traiciendarum coniunctionum copulativarum ratione modo exposuerim, apte nunc ita pergam ut aliam quandam in his tragoediis passim obviam verborum traiectionem eamque a volgari consuetudine plane diversam disputando persequar. fieri autem ea in coniunctioni-

bus quibusdam adsolet quibus notio notioni aut opponitur aut conparatur. sic in Agamemnone Clytemestra cum per Eurybatem certior facta sit coniugem Troia reversum iam iam adventurum esse, simulata ob hunc nuntium laetitia haec dicit (v. 402 s.), ***Sacris colamus prosperum tandem diem Et si propitios, attamen lentos deos,*** ubi cogitandi leges sic potius dici iubebant, ***si lentos, attamen propitios deos.*** sententia enim manifesto haece est, 'agendae sunt deis gratiae, qui quamvis tardi fuerint in precibus nostris exaudiendis, tamen tandem aliquando nobis se praestiterunt propitios'. eodem modo naturalis verborum ordo invertitur Herc. prior. 622, ubi Amphitruo Herculem ab inferis reducem his verbis adloquitur, ***O gnate, certa, at sera Thebarum salus!*** nam ***at*** pro ***et*** a Bothio de nescio cuius coniectura (de Grutero enim, quem ille cum Iacobo Gronovio auctorem eius nominat, dubito) rectissime restitutum est. dicendum autem fuisse adparet, si sententiam respicimus, ***sera quidem, at certa Thebarum salus*** vel ***etsi sera, tamen certa.*** porro in eiusdem fabulae v. 974 s. idem Amphitruo eundem filium, in quo iam signa furoris cernuntur, ita adpellat, ***pectoris sani parum, Magni tamen compesce dementem impetum,*** pro ***pectoris magni quidem, tamen parum sani.*** denique Thyest. 205 s., cum satelles Atreum ad ulciscendas crudeliter fratris iniurias pronum interrogaverit, an nihil eum terreret adversa populi fama, ei respondet rex, ***maximum hoc regni bonumst, Quod facta domini cogitur populus sui Tam ferre quam laudare,*** quo loco cum qui poetae consuetudinem ignorarent temere posuissent quod in alio scriptore recte se haberet, ***Quam ferre tam laudare,*** vera Senecae manus e libro Florentino rursus prodiit, cuius primariam fidem vel hoc signo licet cognoscere. alia eius modi exempla in his tragoediis, quamquam sedulo quaesivi, non repperi. sed philosopho Senecae idem artificiosum loquendi genus ad modum familiare est nec potest ambigi quin consulto et nescio quo elegantiae studio ductus eo usus sit. quod qui non animadverterant, ei saepe inmutando verborum ordine misere corruperunt quae sibi videbantur emendare. animadvertit autem primus Petrus Faber Semestrium libro I, cap. 23; strictim postea attigerunt Lipsius (ad dial. de vit. beat. 20 et de tranquill. anim. 8, item ad libr. de benef. I 13) Gruterus (ad epist. 12) I. F. Gronovius (ut eandem figuram tragico vindicaret, ad Thyest. 207 et ad Agam. 402) alii. maxime autem hanc inversionem in conparativis particulis ***tam — quam*** philosophus adamavit. adscribam quaedam exempla*). de provid. 3 6 ***Infelix est Fa-***

---

*) In scriptis philosophicis Haasii editionem sequar, in satura Buecheleri.

bricius, quod rus suum quantum a republica vacavit fodit? quod bellum tam cum Pyrrho quam cum divitiis gerit? de benefic. I 13 3 *At hic a pueritia latro* (Alexandrum magnum intellegit) *gentiumque vastator, tam hostium pernicies quam amicorum* e. q. s. item epistul. moral. I 12 5; VII 1 15; de vit. beat. 8 in.; de clement. I 3 3; alibi. verum ne apud philosophum quidem in solis his coniunctionibus haec dicendi ratio conclusa est, sed patet latius, ita tamen ut in verbis conparativis certam quasi sedem sibi constituerit. itaque *aeque — quam* sic invertuntur epist. mor. VI 3 3 *nam quotiens aliquos amicitiae Asinii Galli, quotiens Seiani odium, deinde amor merserat, aeque enim offendisse illum quam amasse periculosum fuit, exclamabant homines* e. q. s., ubi secundum cogitandi legem dicendum erat *aeque enim amasse illum quam offendisse.* item epist. mor. VII 4 22; XI 3 16; de benef. VI 43 2. *non minus — quam* eodem modo invertuntur de tranquill. anim. 8 3 *Bion eleganter ait non minus molestum esse calvis quam comatis pilos velli.* eadem traiectio in adiectivo quod est *par* insequente *ac* particula fit natur. quaest. II 59 5 *[maiora] aut certe paria conatur animus magnus ac perditus.* quae cum ita sint, subdubito num recte Haasius de vit. beat. 20 3 scripserit *ego mortem eodem voltu cum quo audiam videbo,* pro eo quod apud Fickertum et priores legitur, *ego mortem eodem voltu audiam quo videbo.*

Hanc verborum contra accuratas cogitandi rationes conlocationem etiam apud iureconsultos posteriorum temporum, veluti Papinianum Paulum Ulpianum alios, et apud Apollinarem Sidonium (epistul. III 12) passim inveniri idem Petrus Faber observavit: e prioribus praeter Senecam nemo ea videtur usus esse. itaque quod tam memorabilis tamque rara consuetudo et philosopho et tragico peculiaris est, id omnium argumentorum ab oratione petitorum quibus uterque unus idemque esse arguatur longe equidem duco gravissimum. ac patet hinc, priusquam diversam Oedipi Agamemnonis Herculis alterius a reliquis fabulis originem statuamus, quam diligenter cuncta exquirenda nobis atque perpendenda sint. nam qui una alterave sermonis differentia in singulis tragoediis detecta statim falsum Senecam deprehendisse remque omnem tenere sibi videtur, is quam lubrico utatur iudicio et quam facile possit a vero aberrare vel maxime hoc docet, quod eadem tragoedia in qua coniunctionem *atque* semel contra constantem ceterarum morem traiectam esse supra vidimus, alium eumque valde singularem dicendi usum non solum cum Hercule priore et Thyeste, verum etiam cum Senecae philosophi scriptis, ut modo demonstratum est, communem habet. videndum autem omnino an non plura aut

graviora argumenta inveniantur itidem ea e sermonis genere petita quibus esse philosophum etiam illarum trium fabularum auctorem probetur quam quibus non esse. veluti Agam. 206 temporis adverbium *diu* pro eo quod est *tarde* ponitur, *victor venit Asiae ferocis, ultor Europae. trahit Captiva Pergama et diu victos Phrygas*, hoc est, ut recte iam Farnabius interpretatus est, Phrygas diutino lento decennali bello victos. item Oedip. 948 *Quod saepe fieri non potest, fiat diu: Mors eligatur longa.* eandem sententiam huic vocabulo frequenter subicere solet philosophus, de ira I 11 7 *Quid alter Scipio? non circa Numantiam multum diuque sedit et hunc suum publicumque dolorem aequo animo tulit, diutius Numantiam quam Carthaginem vinci?* de clement. I 10 1 *ipsum Lepidum quamdiu mori passus est?* item epist. mor. III 3 20; IV 1 4; XV 1 3; XVII 1 13. quattuor horum exemplorum iam Badenus ad Agam. 206 attulit recteque Taciti Germ. c. 37 conparavit, *tam diu Germania vincitur,* falso contra Statii Theb. III 167, *Ite diu fratres indiscretique supremis Ignibus.* paucula alia ex aliis scriptoribus exempla congessit Handius Tursell. II, p. 286 s., sed quaedam is quoque huc rettulit quae aliorsum pertinent. non minoris mihi videtur momenti quod *prior* adiectivum eis verbis quibus haec ipsa notio inest ex abundantia additur Oedip. 72 *Matura poscens fata, praecurram ut prior Patriam ruentem,* et Herc. alt. 773 *an possum prior Mortem occupare?*, idemque pleonasmus apud philosophum invenitur de constant. sap. 17 2 *itaque materia petulantibus et per contumeliam urbanis detrahitur, si ultro illam et prior occupes.* nec indignum mentione est quod iam Gronovius observavit, Agam 965 *citius interea mihi Edissere ubi sit gnatus* conparativum *citius* pro *quam citissime* vel *statim* usurpari eadem cum elegantia, quacum philosophus dixit in Divi Claudii apocoloc. c. 7 in., *citius mihi verum, ne tibi alogias excutiam,* et paullo post (13 2) '*celerius*', *inquit Mercurius*, '*et venire nos nuntia*'. sic *ocius* et ab aliis saepe dici constat, et a Seneca dictum est Herc. alt. 101 538 858 Thyest. 640. sed haec omnia aliaque, quae ad expediendam rem haud exiliter conducere mihi videntur, a Richtero praetermissa sunt. qui cum non pauca, ut supra dixi, cum diligentia rectoque iudicio persecutus esset, tamen interdum nimio, puto, abreptus studio eo pervenit ut quaedam inter singulas fabulas discrimina notaret per se minutissima et quae cur mero casui tribui nequeant nullo modo intellegitur. velut p. 27 inter ea quae in Oedipo et Agamemnone insolenter prolata essent hoc quoque numeravit, quod particula *etiam,* ab Hercule altero omnino ea exclusa, in duabus illis fabulis singulis tantum versibus obvia esset, cum in ceteris tragoediis

cum Octavia undeviciens inveniretur. quali disputandi ratione vereor ne arma ipsi eis subministremus quibus artem nostram carpere volupe est.

Iam vero post hanc paullo quidem longiorem, sed tamen non inutilem, ut spero, digressionem ad Herculem priorem redeo. igitur in hac fabula inde a v. 524 haec legimus, ***O Fortuna viris invida fortibus, Quam non aequa bonis praemia dividis! Eurystheus facili regnet in otio: Alcmena genitus bella per omnia*** e. q. s. adparet et monitum est a Bothio a v. 526 usque ad 532 Fortunam ipsam loquentem induci. sed aliud huius loci incommodum est. etenim ut recte Fortuna dicitur viris fortibus invida esse, ita perversum est addere eandem bonis praemia non aequa dividere, et huius sententiae explanandae causa Eurysthei otium Herculis opponere laboribus, quasi et ille e bonorum numero sit. itaque scribendum puto ***Quam non aequa HOMINI praemia dividis!***

V. 577 ss. ***Deflent Eurydicen Threiciae nurus, Deflent et lacrimis difficiles dei Et qui fronte nimis crimina tetrica Quaerunt*** e. q. s. in praecedentibus versibus Orphea cantu inferorum animos mulsisse dictum est. iam ad eiusdem artis in orco effectum uberius etiam inlustrandum recte quidem et pulcre adiungitur etiam duros umbrarum dominos rigidosque iudices ita permotos esse ut non possent quin funderent lacrimas: cui descriptioni similis ea est quam Herc. alt. inde a v. 1061 legimus. contra mulierum Thraciarum mentio quid sibi velit hic plane obscurum est. neque haec difficultas editores fugit eique variis modis subvenire conati sunt. et Gronovius quidem, cui, ut ipsius utar verbis, prorsus displicebant illae ***nurus,*** hanc vocem ut removeret non unam, sed quattuor coniecturas proposuit, ***manus*** aut ***fides*** aut ***Threicii modi*** vel ***nomi,*** haecque omnia de ipso Orpheo intellegi volebat. quae tamen inventa omni probabilitate carent, et vereor ne magno illo viro non satis digna sint. nam si talequid re vera scripsisset poeta, parum apte repeteret quod iam antea satis multis verbis descriptum est, et deflendi verbum primum metaphorice, deinde proprie poneret et omnino res plane inter se diversas mirum in modum coniungeret. at iam e pari versuum 577 et 578 initio patet utroque de lyrae vi atque effectu agi. iam ut Badenum audiamus, hic in editione universorum carminum — nam quae idem varia et parum idonea in specimine protulerat, ea cum ipse postea inprobarit refutare non tanti est — difficultatem loci interpretando posse expediri putavit dixitque Threicias nurus nominari tamquam populares et familiares defunctae. sed eas flevisse quid mirum? itaque tale exemplum ad celebrandam divinam vim

cantus absurde adhibuisset poeta. transeamus ad Bothium. hic omnem scrupulum quasi difflare sibi visus est sola interpunctione mutanda hoc modo, ***Deflent Eurydicen Threiciae nurus? Deflent et lacrimis difficiles dei*** e. q. s. sententiam autem hanc esse volt, 'si mulieres seu nymphae Thraciae deflent Eurydicen apud superos, deflent eam et inferorum dei; si dolor tantae et tam inopinae cladis tenera movit feminarum corda, movit etiam dura Plutonis, Furiarum et eorum qui iudicant defunctos'. quo commento nihil est infelicius. nam, ut alia taceam, manifestum est et pridem Delrio adnotavit Threicias nurus eas tantum intellegi posse quae apud inferos sint, hoc est Threiciarum nuruum umbras. restat ut Withofium commemorem, qui praemet. p. 55 legendum statuit ***Deflent Eurydicen Tartareae nurus,*** id est (sic ipse explicat) omnes omnino mulieres in orco degentes. quae coniectura melior est sane Gronovianis, sed vel sic mirifice languet oratio. certe correctione hic opus est, sola interpretatione nihil efficitur. sed qui illam necessariam esse recte perspexerant, tamen non in principali sua sede vitium quaesivisse ideoque frustra laborasse mihi videntur. ego quidem poetam hoc modo scripsisse suspicor, ***Deflent EVMENIDES THREICIAM NVRVM.*** praeivit in hac sententia quem saepius noster imitatur Ovidius metamorph. X 45 ss., ***Tum primum lacrimis victarum carmine famast Eumenidum maduisse genas, nec regia coniux Sustinet oranti nec qui regit ima negare, Eurydicenque vocant.*** sed erunt fortasse qui hoc inventum probabile esse negent propterea quia sequenti versu ***lacrimis difficiles dei*** memorentur, quorum nomine conprehendantur etiam furiae. nec infitior hinc ipsi mihi iniectum esse scrupulum. at tamen illic reputandum erit in primis Plutonem et Proserpinam inferorum dominos intellegi. ceterum non eadem quidem, sed simili dicendi ratione poeta infra utitur v. 898 ***Nunc sacra patri victor et superis feram,*** hoc est Iovi patri et superis. corruptelam autem ita natam puto ut primum nescio quis librarius per neglegentiam aut oculorum errorem pro ***Eumenides*** scriberet ***Eurydicen,*** id quod et propter saepius in hoc carmine (v. 571 et 581) commemoratum nomen huius et propter utriusque vocis in primis litteris similitudinem fieri facillime potuit, deinde autem alius, qui ***Eurydicen Threiciam nurum*** ineptum esse recte intellexisset, temere ***Threiciae nurus*** corrigeret.

V. 659 s. haec volgo leguntur, ***teque, quam tota irrita Quaesivit Aetna mater.*** Proserpinam et Cererem intellegi manifestum est. verum ceterorum et scriptorum et poetarum omnium testimoniis Cererem constat ad investigandam filiam orbem omnem peragrasse terra-

rum: in Aetna taedas inflammasse scimus, quas sibi in itinere praeferret. nec ullo modo simile veri videtur Senecam, hoc est poetam magniloquentiae rerumque ambitus praeter ceteros amantem aliam nobisque ignotam fabulam secutum esse, qua in solo illo monte mater natam conquisivisse traderetur. itaque quin vitium hic lateat dubitari non potest. nam plane ridicule Badenus ad defendendam, ut solet, volgatam lectionem illud adfert quod Ovidius metam. XIV 188 de Polyphemo narrat, *Ille quidem totam fremebundus obambulat Aetnam,* quasiquis negaverit *tota Aetna* per se dici posse. sed qui sanare locum mutando temptavere misere lapsi sunt. Grutero enim pro *Aetna* de aliena coniectura commendanti *aethra* nemo credet *tota aethra* significare 'et terra tota et mari toto'. nec probabilius est quod Bothius in editione anni MDCCCXXII e Moguntino Delrionis non nullisque aliis libris recepit, *quam tota eruta Quaesivit Aetna mater;* quae lectio tantum abest ut difficultati medeatur, ut frigidior quam volgata sit. nec *eruere Aetnam* ita dici poterit ut sit 'perscrutari'. denique vocabulo *irrita,* quod optimi insuper codices tueri videntur, aegre carebimus, est enim ad sententiam aptissimum ac paene necessarium. itaque missis his commentis haud cunctabimur id restituere quod quamquam a traditis litteris aliquantum distat, tamen sententiae unum convenit, *quam TOTO irrita Quaesivit ORBE mater.* eodem modo de eadem Proserpina notum est Ovidium dixisse metam. V 489 *O toto quaesitae virginis orbe,* et 556 *Quam postquam toto frustra quaesistis in orbe.*

V. 834 ss. haec feruntur, *Ausus est* (Hercules) *caecos aditus inire Ducit ad manes via qua remotos Tristis et silva metuenda nigra, Sed frequens magna comitante turba.* hunc locum nemo criticorum suspectavit. sed ego quotienscumque de eo meditatus sum, in postremis eius verbis numquam non haesitavi. quorum quidem intellectus non esse nisi hic potest, 'frequens est ad inferos via, cum magna mortuorum turba illuc descendentem comitetur'. sed quid hic de comitatu aliquo umbrarum mentio, cum oratio, ut adparet, generaliter conformata sit nec amplius ad Herculem pertineat? itaque qui nihil hic subesse mendi putabit, is non poterit quin poetam duas sententias temere confudisse statuat. quod quando ego quidem non adducor ut credam — quotcumque enim in his fabulis insunt vitia ab ipso Seneca profecta, certe non ex inbecillitate ingenii manavere —, nescio an sic potius hic scriptum fuerit, *Sed frequens magna VOLITANTE turba,* hoc est frequens magna turba volitantium umbrarum; de qua loquendi ratione Senecae et tragico et philosopho valde adamata Gronovius

dixit ad dial. de ira III 8 (conf. eundem ad Phoeniss. 214). ceterum *volitare* de umbris etiam Oedip. 599.

V. 870 ss. ***tibi crescit omne, Et quod occasus videt et quod ortus. Parce venturis! tibi, Mors, paramur. Sis licet segnis, properamus ipsi.*** adlocutio mortis, ad quam ***tibi*** (v. 870) et ***parce*** (v. 872) referenda sunt, nimio plus ab initio orationis reicitur. nullum sententiae detrimentum fiet, siquis verba hoc modo transposuerit, ***tibi, Mors, paramur. Parce venturis! tibi crescit omne Et quod occasus videt et quod ortus. Sis licet*** e. q. s.

V. 909 s. ***quidquid Indorum seges Arabesque odoris quidquid arboribus legunt, Conferte in aras.*** his in verbis constructionis vitium inesse patet, nam ***seges*** verbo suo caret estque ***fert*** vel simile quid intellegendum. verum tale zeugma profecto durissimum, quod vereor ne nemo umquam scriptorum Latinorum sibi indulserit, a nostri certe poetae aequabili orationis elegantia plane abhorret. itaque conlaudandus est Withofius quod emendatione hic opus esse intellexit (praem. p. 78): nam editores horum carminum insolentiam sermonis ne mentione quidem dignam iudicavere solo excepto Badeno, qui tamen inconsulto illi obstitisse satis habuit. verum coniectanti Withofio ***Indorum genus*** non possum adsentiri. nam, leviora ut taceam, cum tota orationis conformatio tum indefiniti pronominis quod est ***quidquid*** repetitio aliquid novi v. 910 ad praegressa vocabula addi demonstrant. itaque aliter vitiosus locus corrigendus est, et ita quidem ut constructioni grammaticae consulatur nec sententiae damnum fiat. haec praemisi ut quod scribendum esse olim (de em. S. tr. p. 76) brevissime monueram, ***quidquid INDI ARVIS SECANT,*** id nunc argumentis confirmarem. neque negari potest aptissime ita inter se opponi aromata quae Indi ex agris demetant et quae Arabes conligant ab arboribus. secandi autem verbo saepe Seneca sic utitur ut sit 'metere', veluti Herc. alt. 635 ***Vel mille secent arva coloni,*** Med. 730 Troad. 76. ceterum non sine gaudio vidi nuper in ann. philolog. LXXXVIIII et XC, p. 423 Luciano Muellero inventum meum probatum esse.

V. 995 s. ***ceteram prolem eruam Omnesque latebras.*** sic occiso iam per furorem uno filiorum dicit Hercules vel potius dicentem eum fecerunt librarii. nam 'prolem et latebras eruere' Latinum esse nego, quidquid Schroederus et Badenus ad defendendum id protulerunt. nec ita locum interpretari licet — ceterum qui hoc fecerit neminem novi — ut post ***Omnesque latebras*** per intercapedinem orationis alterum verbum veluti 'perscrutabor' omissum esse statuamus. sed frustra Gronovius proposuit ***Omnem e latebris,*** qua coniectura nimium quantum

pro summa Herculis animi perturbatione infringitur atque enervatur oratio. multoque etiam minus probabilitatis habere quod Bothius recipere in ordinem ausus est, ***Omnesque latebris,*** nemo erit qui non videat. scribendum potius est ***ceteram prolem eruam, VBICVMQVE LATITAT.*** simillimus locus est in Troasin v. 627 ss., ***fraude materna abditum Hostem Pelasgi nominis, pestem ultimam, Ubicumque latitat, erutam in medium date.***

Quae proxime secuntur hoc modo legenda et distinguenda existimo

quid moror? maius mihi
bellum Mycenis restat, ut Cyclopia
eversa manibus saxa nostris concidant.
huc eat et illuc valva deiecto objce
RVPTOQVE POSTE! columen inpulsum labet! —
perlucet omnis regia. hic video abditum
gnatum scelesti patris.

in his v. 997 ***Cyclopia*** scripsi cum Badeno pro altera forma, quae ferri hic nequit, ***Cyclopea.*** deinde v. 998 post ***concidant*** graviter interpunxi, fecerantque idem, nulla tamen causa addita, iam Delrio et Bothius, cum reliqui editores omnes comma posuissent. tum v. 999 pro ***aula,*** lectione plane inepta, a Badeno adscivi ***valva,*** quod divinando, ut videtur, invenit ille; eodemque versu cum eodem e libro optimo ***deiecto*** restitui. denique v. 1000 — nam leviora quaedam taceo — de mea coniectura ***ruptoque poste*** scripsi pro librorum lectione ***rumpatque postes,*** quam corruptam esse liquido confirmo, quoniam nec ***valva*** neque ***aula*** (siquis hoc retinere voluerit, quod tamen retineri nequit) dici potest postes rumpere. sententia autem totius loci haec est. ʻinterempto', inquit Hercules, ʻuno filiorum Lyci ceteram eius prolem e latebris erutam trucidabo. nec morari licet, nam maior quam hic in urbe Thebarum pugna Mycenis mihi restat, ubi, ut Eurysthei in me iniurias ulciscar, arcem eius Cyclopum muris munitam manibus meis evertam. itaque iam clusam regiam, in qua latere Lyci reliquam stirpem suspicor, vi aperiam deiciendo obice valvarum postibus rumpendis inpellendo columine'. haec vero postrema uno tempore Hercules et dicit et perpetrat. igitur, cum domum vehementibus suis ictibus cessisse videt, ***Perlucet,*** inquit, ***omnis regia*** e. q. s. haec exponenda erant, quia in explicando hoc loco Gronovius et Badenus — ceteri autem nihil adnotavere — mirum est quantum a vero aberraverint. qui cum haec verba, ***ut Cyclopia eversa manibus saxa nostris concidant,*** quae prorsus dirimenda sunt a sequentibus, cum eis arte coniunxissent, fieri non potuit quin totum locum perperam ita accipe-

rent tamquam si Hercules per furorem sibi videretur iam esse Mycenis nec nisi eversa huius urbis arce latentes hostes posse reperire. quem errorem habebant sane unde specie quadam veritatis induerent. notum est enim Euripidem in ea fabula quae *Ἡρακλῆς μαινόμενος* inscribitur ita rem instituisse nuntiumque induxisse, qui choro indicaret quali Hercules vesania abreptus quam misere suos filios suamque coniugem pro Eurysthei obtruncasset. verum enim vero Euripidius Hercules ab initio furoris usque ad finem eius plane sibi constat. nam inde a v. 936 (edit. Nauck.), cum in eo esset ut Iovi pro victoria de Lyco reportata sacra faceret, '*γέλωτι παραπεπληγμένῳ*' haec dixisse narratur

> *πάτερ, τί θύω πρὶν κτανεῖν Εὐρυσθέα*
> *καθάρσιον πῦρ, καὶ πόνους διπλοῦς ἔχω*
> *ἐξὸν μιᾶς μοι χειρὸς εὖ θέσθαι τάδε;*
> *ὅταν δ' ἐνέγκω δεῦρο κρᾶτ' Εὐρυσθέως,*
> *ἐπὶ τοῖσι νῦν θανοῦσιν ἁγνιῶ χέρας.*

itaque consequens est ut ingravescente furoris vi, cum suae regiae partes peragret, Mycenas se proficisci ibique tandem advenire (conf. v. 962 s. *δεινὰ δ' Εὐρυσθεῖ βρέμων ἦν ἐν Μυκήναις τῷ λόγῳ*) et filiis coniugeque conspectis Eurysthei ante oculos habere imaginetur. contra Seneca, quem vehementer errant qui servilem Graecorum tragicorum imitatorem fuisse nec quicquam ipsum invenisse vel novasse arbitrantur, cum nescio quo iure Herculis rabiem in ipsa scaena repraesentare quam nuntii alicuius narrationi committere maluisset, eodem quo Euripides modo rem instituere neque potuit nec voluit. Romanus igitur Hercules non Eurysthei, cuius nulla omnino mentio fit, sed Lyci modo interfecti filios videre sibi videtur. ait enim v. 987 ***Sed ecce proles regis inimici latet, Lyci nefandum semen*** e. q. s., et v. 995, occiso iam uno filiorum, ***ceteram prolem eruam.*** itaque qua tandem ratione potuerit fieri ut haec fatus derepente Mycenis se esse imaginaretur, nemo, puto, intelleget, nisi qui forte in depingendo a poetis furore qualibuscumque ineptiis locum concessum esse crediderit. accedit quod Hercules occisis liberis et coniuge v. 1035 exclamat, ***Bene habet: pudendi regis excisa est domus,*** et in Iunonis irrisionem haec addit, ***Tibi hunc dicatum maximi coniux Iovis Gregem cecidi. vota persolvi libens. Te digna, et Argos victimas alias dabit,*** unde manifesto patet Herculem non iam Mycenis se esse credere, sed moliri illuc pergere. postrema enim verba, ***et Argos victimas alias dabit,*** non possunt nisi hoc significare, 'Argos profectus tibi etiam Eurystheum eiusque familiam mactabo'. nam, ut iam Farnabius recte adnotavit, Eury-

stheus Mycenarum quidem, non Argorum, rex est, sed promiscue poetae utroque nomine uti solent. nec ignoravit hoc Gronovius, sed artificiosius ita explicavit ut hic Herculem quasi destertuisse diceret se Mycenis esse, quod supra arbitratus esset. iam refutato aliorum errore sententiaque totius loci recte explanata ne Senecae quidem Herculem in furore inter varias opiniones mire fluctuare, sed constantem sibi esse videmus, hoc uno excepto quod v. 1018 Megaram non pro Lyci uxore, sed pro ipsa Iunone habet idque v. 1036 rursus obliviscitur. sed haec quidem inconstantia licitum modum fortasse non excedit multoque minus certe offensionis habet quam si Thebae cum Mycenis, cum Lyci prole Eurysthei familia temere et sine ulla causa confusae ac permixtae essent.

V. 1026 ss. Amphitruo horribilis stragis a furenti Hercule editae testis oculatus haec exclamat

cernere hoc audes, nimis
vivax senectus? si piget luctus, habes
mortem paratam. pectus in tela indue
vel stipitem istum caede monstrorum illitum
converte. falsum ac nomini turpem tuo
remove parentem, ne tuae laudi obstrepat.

locus perplexus ac me iudice non una tantum corruptela inquinatus. quem etiam si non contigerit ita persanare ut de emendationis probabilitate cunctis persuadeam, tamen vitia eius certis argumentis coarguere viamque quae ineunda sit ad ea removenda commonstrare in tam alto fere omnium criticorum et interpretum silentio operae pretium erit. igitur his verbis ***cernere hoc audes, nimis vivax senectus? si piget luctus, habes mortem paratam,*** manifesto se ipsum adloquitur Amphitruo, eaque Stoicorum redolent doctrinam saepe a Seneca et in tragoediis et in scriptis philosophicis prolatam, e qua nemo in vita teneri potest invitus multis undique viis ad mortem malorum finem patentibus. nec minus certum est hisce, ***falsum ac nomini turpem tuo remove parentem, ne tuae laudi obstrepat,*** Amphitruonem se convertere ad Herculem, ut filiorum et coniugis interemptorem etiam ad patris caedem irritet. verum quae media intersunt haec, ***pectus in tela indue vel stipitem istum caede monstrorum illitum converte,*** maximam movent dubitationem ac suspitionem. namque grammatica quidem ratio qua alterum conpositi enuntiati membrum priori adnectitur similes sententias hic efferri et ad unam eandemque personam utrumque inperativum referendum esse demonstrat. nec defuere qui locum hoc modo acciperent, ʻtu, Hercules, me patrem sagittis vel clava interficeʼ. verum

talem interpretationem qui tandem e traditis verbis extorquebimus? sane quidem haec, *vel stipitem istum* e. q. s. dicta esse debent ad Herculem. at ista quae praecedunt, *pectus in tela indue,* non potest non ad se ipsum dicere Amphitruo, quippe quorum intellectus unus hic sit, 'in tela incumbe, inrue'; quem ad modum infra (v. 1312) idem Amphitruo ait. *Letale* (an cum Withofio p. 127 *Senile?) ferro pectus impresso induam* (ubi conparanda sunt quae ex aliis scriptoribus exempla congessit Gronovius) et Oedip. 341 de iuvenca dicitur *ferro semet imposito induit.* ergo loco nostro duae res plane inter se diversae oratione ita coniunguntur ut coniungi nequeunt. accedunt alia. offendit enim quod verba *stipitem converte* obiecto suo carent neque id e praegressis intellegitur. deinde stipes ineptissime hic *caede monstrorum illitus,* hoc est ferarum olim ab Hercule domitarum sanguine conspersus dicitur, ut pote quo filiorum ultimum coniugemque modo ille prostraverit. itaque dubium esse omnino non potest quin gravibus vitiis locus noster contaminatus sit. neque enim difficultatibus a me expositis subvenisse dici potest Withofius, qui praem. p. 161 aptam orationem lucrari sibi visus est sola verborum interpunctione mutanda sic, *pectus in tela indue vel stipitem istum caede monstrorum illitum. converte; falsum* e. q. s. priora enim verba usque ad *illitum* ad se ipsum dicere Amphitruonem, deinde apostrophen ad Herculem fieri statuit; *converte* autem idem esse quod 'huc te refer ad me'. quo in commento de aliis insuper causis reiectaneo morari nolo. quod si casu factum esset ut Peiperus et Richterus sospitando nimirum Senecae duumviri ad nostrum locum deferrentur maximaque eius incommoda perspicerent, non dubito quin omnia haec verba *pectus in tela indue* et quae secuntur usque ad *falsum ac* ut ab inepto quodam interpolatore profecta prorsus eiecissent. at nos quidem spreto isto ludibrio, quo commoditati magis quam veritati consulitur, emendare corrupta quam una cum his salva inducere malumus. quamquam enim nullo ad id tempus a libris parato coniectantibus auxilio manum poetae tam certo restituere non licet ut aliter ab eo scribi non potuisse evincatur, prope tamen abesse a vero nobis videmur, cum haec vel certe his simillima ab ipso auctore prodisse contendimus

cernere hoc audes, nimis
vivax senectus? si piget luctus, habes
mortem paratam. — pectus *HOC TELIS PETE*
vel stipitem istum caede *NOSTRORVM* inlitum
converte! falsum ac nomini turpem tuo
remove parentem e. q. s.

Amphitruo primum se ipsum hortatur ne vitam sibimet amplius concedat. hoc ipso tempore Hercules perpetrata filii coniugisque caede in scaenam revertitur. itaque eum provocat senex manum pectori suo admovens ut et se patrem telis vel clava perimat. verba ***stipitem converte*** post praegressum ***hoc*** pronomen notionis pondere insigne obiecto suo nunc minus indigent. ***telis petere*** aliquem vel aliquid et alioquin usitatissimum est et Seneca habet Thyest. 1093 Phoeniss. 565 Phaed. 57. praeterea conferri iubeo quae Oedipus in huius nominis fabula v. 927 s. dixisse narratur, ***hoc scelestum pectus aut ferro petat Aut fervido aliquis igne vel saxo domet.*** iam siquis in hac coniectura, ***pectus hoc telis pete,*** audaciam vituperabit — nam quod ***nostrorum*** pro ***monstrorum*** scripsimus, mutatio paene nulla est, in qua ne tenacissimum quidem traditae a libris memoriae hominem offensurum putem —, ei non adversabimur nec obstinato animo in nostro invento perseverabimus, si quidem leviore aliqua medicina sic uti par est mendosus locus potuerit restitui. sed vehementer vereor ne non possit. ceterum causa corruptelae manifesto inde est repetenda quod duplex hic apostrophe fit nec ubi prior terminetur altera incipiat ex ipsa orationis forma perspicitur, sed cogitando tantum inveniri potest. itaque nescio quis librarius, qui Stoico illo ***habes mortem paratam*** non satis recte intellecto continuari debere Amphitruonis ad se ipsum orationem crederet, verba poetae auxilio versus 1312, ubi idem Amphitruo ***ferro,*** inquit, ***pectus impresso induam,*** temere inmutasse ac turbasse videtur. mirum est enim quot quantaque vitia in huius fabulae cui emendandae operam navamus posteriorem potissimum partem paullo actuosius procedentem librariorum inscitia et prava corrigendi cupiditas intulerit. sic supra v. 1001 alius quis corrector pro verbis ***Perlucet omnis regia,*** quae non convenire illi loco putabat, posuerat ***Procumbat omnis regia.***

V. 1063 s. verba ***Solvite tantis animum monstris, solvite, superi*** hoc modo corrigenda esse, ***Solvite tantis animum monstris SALVOM, o superi,*** pridem (d. em. S. tr. p. 68) certis argumentis docui. cuius emendationis magis etiam commendandae causa elegantem cum sequentibus concinnitatem potui addere. nam ***solvere monstris salvum animum*** eadem prolepsi dictum est qua ***rectam in melius flectite mentem.***

V. 1143 s. ***unde prostrata domo Video cruenta corpora?*** verba sunt Herculis e somno experrecti et ad sanitatem reversi. at vero domus pulsibus quidem adflictata, sed non tota prostrata erat, ut adparet e v. 1001 (ubi ineptus quidam corrector, qui re vera prosterni regiam putasset, verba corruperat scribendo ***procumbat).*** nec v. 1185

opponi debet, quo Hercules e patre quaerit, *quis fudit domum,* illic enim domus per metonymiam dicta est pro 'familia'. itaque obtemperandum Bothio difficultate recte perspecta scribenti *unde prostrata a domo,* ita ut *prostrata* ad *corpora* pertineat et *a domo* sit 'ante domum'. nisi forte mutatione non multo maiore reponendum est *prostrata AD DOMVM.* ceterum id deprecor nequis contra has coniecturas proferat quod v. 1227 legitur, *vos per omnem, liberi, sparsos domum,* cuius loci alia ratio est.

V. 1203 *vindica sera manu Saltem nepotes.* nego ferri posse *sera manu.* quod inepte explicat Farnabius sic, 'post admissum scelus, quod ante oportuit', quasiquis ulcisci possit nihil passum. nec vero *sera* ad brevissimum scilicet temporis spatium referri potest quod a furentis Herculis facinore praeteriit. scribemus igitur quod melius insuper vehementissimae Herculis animi concitationi convenit, *SAEVA manu.* sic *saeva* dicitur Iovis manus fulmina mittentis Phaed. 673 et Oedip. 1029.

V. 1212 ss. inde a Gronovio in editionibus tantum non omnibus leguntur haec, *cumque revocata vice In se coibunt saxa, quae in caelum exprimunt Actis utrimque rupibus medium mare, Ego inquieta montium iaceam mora.* verum ista *saxa, quae in caelum exprimunt* infelici debentur Iosephi Scaligeri coniecturae, quam Gronovius, cum cetera aeque infeliciter ab illo hic temptata rectissime refutasset, tacitus retinuit. vetus enim lectio, quam etiam codices tueri videntur, haec erat, *saxaque in caelum expriment,* hancque frigidissimo Scaligeri invento Bothius iure praetulit. sed idem miro errore *coibunt* ad Herculis vinctas et hinc illinc distentas manus pertinere putavit nec vidit versu demum 1215 orationem a Symplegadibus ad Herculem recurrere. itaque sic potius locus hic explicandus est ut aut verbis *coibunt* et *expriment* commune subiectum *saxa* esse statuamus quadam id insolentia in alteram enuntiati partem retractum aut e v. 1211, quo *Symplegas* nominatur, eiusdem vocis numerum pluralivum ad prius verbum cogitando adiciamus. quod sicui e duabus his interpretandi rationibus solis admittendis neutra placuerit — et ne mihi quidem satis placere fateor comptam Senecae dictionem reputanti —, is levi usus mutatione optime sic scribet, *cumque revocata vice In se COIBIT* (intellego Symplegas) *saxaque in caelum expriment* e. q. s.

V. 1229 ss. *huc ensem date, Date huc sagittas, stipitem huc vastum date. Tibi tela frangam nostra; tibi nostros, puer, Rumpemus arcus, ac tuis stipes gravis Ardebit umbris; ipsa Lernaeis frequens Pharetra telis in tuos ibit rogos.* pro lectione plane inepta, quae est *ensem.*

verissime Withofius p. 121 scripsit *arcum.* quam emendationem quod qui nostro saeculo extitere Senecae editores non modo non in ordinem receperunt, sed ne mentione quidem dignam habuerunt, hoc inter multa alia testimonium est quanta illi cum levitate in recensendis his fabulis versati sint. nam ensem nec tragicus noster nec ullus alius, quod sciamus, poeta Alcidae umquam attribuit, et arma quae hic sibi dari iubet Hercules accurate respondere eis debent quae in sequentibus versibus memorantur occisorum manibus tamquam dicanda, tela arcus stipes; quibus quod v. 1234 etiam pharetra additur antea non nominata, id per se non multum habet offensionis. sed cavendum est ne inde cum Farnabio colligamus quattuor ab Hercule interfectos esse filios; qui numerus e loco superiore, quo furor illius repraesentatur, expediri non potest. illic enim trium tantum puerorum caedem fieri videmus, et quidem primi v. 994, alterius v. 1006, tertii v. 1023. itaque nostro loco statuendum est Herculem non solum ad liberos oratione se convertere (quamquam hi soli v. 1227 adpellantur), sed etiam ad coniugem. optimeque haec verba, ***ac tuis stipes gravis Ardebit umbris,*** ad Megaram referemus. quamquam non est infitiandum perspicuitati hoc loco parum a poeta consuli, ut dubitare me fatear an sic potius ab eo scriptum fuerit, ***CONIVGIS stipes gravis Ardebit umbris.***

Versus 1237 et 1239 in omnibus adhuc editionibus Theseo attributi sunt. atqui Florentinus liber teste I. F. Gronovio (in adnotatione extrema, quam neglegentes homines non solent curare) utrumque Amphitruonis personae adsignat, et quidem verissime. nam nihil sese prius dixisse ipse Theseus v. 1272 s. docet his verbis, ***Sunt quidem patriae preces Satis efficaces, sed tamen nostro quoque Movere fletu.*** itaque nostro loco eidem librarii personam mutavere qui etiam v. 1263 et 1264 Thesea temere interfantem fecerant. sed illic quidem verum iam Gronovius restituit.

V. 1284 ss. ***arma nisi dantur mihi, Aut omne Pindi Thracis excindam nemus Bacchique lucos et Cithaeronis iuga Mecum cremabo. tota cum domibus suis Dominisque tecta, cum deis templa omnibus Thebana supra corpus excipiam meum Atque urbe versa condar.*** liber Florentinus cum conpluribus aliis et manu scriptis et olim inpressis v. 1285 pro *excindam* praebet *excidam*, idque in ordinem recepit Badenus. et recte quidem, quod attinet ad verbum ipsum. sed mutanda erat eius forma. oratio enim pariter ac sententia iubent scribi ***EXCISVM.*** deinde v. 1287 recte Bothius editionem Fernandi aliasque veteres secutus verbis ***tota cum domibus suis*** coniunctionem ***aut*** praeposuit, quae

necessario hic requiritur; adparetque quam facili ea errore omitti potuerit insequente voce *tota.* verum gravius etiam huic loco insidet vitium, quod a nemine adhuc deprehensum esse miror. nam omni omnino sensu carent ista *tota tecta cum domibus suis,* nullo inter *tecta* et *domos* intercedente significationis discrimine. neque enim hic domus dictae esse possunt pro familiis. venit ab auctore *tota cum FAMVLIS suis Dominisque tecta.*

V. 1295 ss. in libro Florentino verba sic leguntur et distribuuntur

A. reddo arma. *H.* Vox est digna genitore Herculis.
hoc en peremptus spiculo cecidit puer.
A. Hoc Iuno telum manibus emisit tuis.
H. Hoc nunc ego utar. *A.* Ecce quam miserum metu
cor palpitat pectusque sollicitum ferit.
H. Aptata arundo est. *A.* Ecce iam facies scelus
volens sciensque. pande quod fieri iubes.
nihil rogamus, noster in tuto est dolor.

quem locum non supervacaneum erat totum hic adscribere, quoniam recentiores Senecae tragici editores ne id quidem egerunt ut v. 1299 verissimam lectionem *pectusque* pro volgata, quae est *corpusque,* e codice optimo restituerent. iam cum quae hic liber praebet pleraque omnia Gronovius rectissime vindicaverit et explanaverit, — unde mirum est maximo veritatis detrimento rursus discessisse Lessingium (Theatr. Biblioth. II, p. 58 ss.) —, unum restat rectius quam adhuc factum est interpretandum aut, si fieri id nequeat, coniectura aliqua emendandum. nam obscura ad modum ac perplexa sunt ista *pande quod fieri iubes;* quae sic in Florentino extare, cum volgo talia ferantur, *pande, quid fieri iubes,* colligendum ex eis videtur quae ad v. 1303 adnotavit Gronovius. sed hic artificiosius ea quam vere ita explicat, 'Age, quando non potes flecti, fac, aperi et monstra, quod me vis cogisque facere; occide te, quod vis ut ego quoque faciam'. talis enim sententia sub illis verbis qui tandem poterit subici? nam primum *pandere* non idem significat quod *facere.* sed hoc concesso certe poeta, si hanc sententiam exprimere intendisset, ut quid vellet intellegeretur, sic fere debuit dicere, 'pande tu quod fieri a me iubes'. omnino autem parum apte ita diceret, praesertim cum manum sibimet inferendi consilium sequentibus demum versibus paullatim prodat Amphitruo. nec vero ullo modo meliorem lucrabimur sententiam, si verbis sic ut volgo leguntur retentis ea cum Bothio attribuerimus Herculi. hic enim in tam perspicua Amphitruonis voluntate plane absurde ita quaereret. sin autem ita quaereret, hoc ipso se precibus patris iam iam commo-

veri ostenderet. itaque non posset ille respondere *nihil rogamus,* quae quidem verba, ut probe Gronovius intellexerat, sunt de pervincenda Herculis obstinatione desperantis et ob repudiatas preces indignantis. quae cum ita sint, poetam sic potius scripsisse suspicor, ***Ecce iam facies scelus Volens sciensque. PERGE! quid fieri iubes? Nihil rogamus*** e. q. s. 'perge', inquit Amphitruo, 'perfice scelus! quid enim fieri iubes? visne vero me iterum ac saepius rogare? nihil iam rogo, cum tecum mori mihi constitutum sit'. hanc sententiam ipse Seneca, saepe is optimus sui interpres, uberius inlustravit libro de benefic. II 5 2, ubi haec leguntur, ***Quare verissimum existima quod ille comicus dixit: Quid? tu non intellegis tantum gratiae te demere quantum morae adicis? Inde illae voces quas ingenuus dolor exprimit: 'Fac, si quid facis' et 'nihil est tanti: malo mihi iam neges'. Ubi in taedium adductus animus incipit beneficium odisse, dum exspectat, potest ob id gratus esse?*** ceterum ***perge*** de industria potest ab eis mutatum esse qui mucrone, ut ita dicam, sententiae parum intellecto Amphitruoni haud convenire arbitrarentur ut filium ad id cohortaretur quod quo minus fieret inpedire vellet.

SENTENTIAE CONTROVERSAE

I Senecae apocolocyntosi nihil est cur finem deesse statuamus.

II In Sen. apocol. c. V retinenda est codicum lectio haec, 'tum Hercules primo aspectu sane perturbatus est, ut qui etiam non omnia monstra timuerit'. quam qui mutavere, non correxerunt locum, sed corruperunt.

III Prudenter fecerunt Romanorum poetae tragici, quod fabularum argumenta a Graecis mutuari quam res domesticas attingere plerumque maluere.

IIII Adsentior Ernesto Curtio (Att. Stud. I, p. 8) Atheniensium *βάραθρον* statuenti sub colle Nympharum qui dicitur ad occidentem versus situm fuisse.

V Linguae graecae volgaris futura talia, qualia sunt *θέλω γράψῃ θέλω λάβῃ*, perperam adhuc usque explicata sunt a grammaticis.

VI Vehementer errant qui Graecos nostrae aetatis a Slortosvis a esse contendant.

VII Introducenda est in gymnasia Reuchliniana quae dicitur graecae linguae pronuntiatio.


VIII Grammatica conparativa non est philologi.

VIIII Hermeneutica et critica tam arte inter se coniunctae sunt, separatim tractari ut nequeant.


X Plato in sua de ideis doctrina parum sibi constitit.

XI Eclecticismi qui dicitur origo a quadam animi infirmitate repetenda est.

XII Ars docendi doceri non potest.


LIBRARY OF CONGRESS
0 003 091 686 4


7
8
9
10


6
7
8
9
10
11






observationescr00schm